



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 35. Mutata Regiminis norma

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

**Sæcul. XV.**  
**A.C. 1461.**

§. XXXV.

*Mutata Regiminis Norma.*

Exeunte hoc mense Ludovicus XI. Parisios delatus, ultima die Augusti solemnni pompa urbem ingreditur, mille ducentis equitibus stipatus; Burgundiæ Dux Regi, cuius hucusque individuus erat comes, peractis solemnniis valedixit, in Flandriam reversurus. Interea vero Carolesii Comes Burgundi Filius peregrinatum ibat ad templum S. Claudii in Burgundia, cui reduci Rex Normanniæ Præfecturam commisit, addita pensione nummum mille ducentorum, quæ tamen eidem haud numerati fuerat, eoquod Rex suis promissis stare parum sollicitus esset. Demum Rex Ambasiam pergit, Reginam Caroli VII. viduam invisurus, quæ post Mariti sui obitum sese eo recepit; sed paulo post fatis functa est, non sine ingenti omnium bene affectorum luctu, qui per filialem, quam Rex erga Matrem suam profitebatur, pietatem, violentos ejus impetus aliquamdiu reprimi peroptabant. Attamen vix Regni habenas moderari ceperat, non jam populi sui Patrem, sed tanquam gentis recens armis subactæ domitorem sese gerebat; plures enim antiquos Patris sui Ministros, Viros multa probitate alioquin cele-

celebres exauktoravit; ferme omnes Re- Sæcul. XV.  
giæ Domus ministros, caussarum Fo- A.C. 1461.  
rensum judices, ac ærarii Præfectos  
ab officio amovit; cunctosque, qui apud  
defunctum Regem gratia valebant, male  
habuit, ac demum quæcunque Pater  
ejus sanxerat, nulla ac irrita declarare  
studuit. Fratri suo nonnisi Bituricen-  
sem Ducatum in paternæ hæreditatis  
portionem concessit, Ducem vero Alen-  
sonium e carcere liberum dimisit, mox  
autem Antonium Chabanum Dammar-  
tini Comitem in ejus locum ad Bastil-  
lam, ut vocant, deferrit præcepit, eoquod  
ipse a defuncto Rege ante sex annos Del-  
phinum comprehendere jussus esset.  
Præterea Armeniacum Comitem bonis  
suis restituit, sed populum tributis one-  
ravit, Proceres exspoliavit, & totius  
Cleri invidiam ob innumeratas molestias  
eidem illatas in se concitavit.

### §. XXXVI.

#### *Regis benevolentia erga Bur- gundiae Ducem.*

Rex, cum Burgundi ac Britanni Du-  
cum amicitiam rebus suis plurimum  
prodesse cerneret, seque Burgundo non  
infimis titulis obstrictum esse, haud igno-  
raret, utrumque simulata benevolentia  
delinire satagebat. Quare Carolesii Co-

C 5

miti